

Matth. Raderus, p. II. virid. c. III. Huc nisi fallor pertinet, quod Lev. I. mandatur, ut ave ad sacrificium deplumata plumæ projiciantur in locum cinerum versus orientem. Solent enim recepto Ecclesiae more sepeliri defuncti Christiani facie ad orientem conversa. Illuc ergo projici divitiarum, h. e. honorum operum plumæ debent, ut securo loco depositæ, resumī in die resurrectionis possit ad volandum in cœlestem beatitudinem. Jam ergo si pro domo sua lutea et lignea quisque tam sollicitus est, ut eam sustentet, impleat, ditet, quam tamen cras vel perinde deserendam sibi novit, cur non potius providemus domui illi, e qua annona nostra pro tota æternitate desumenda nobis est? Domus lignæ et lateritiæ, quantæcumque illæ sint, hospitia tantum nostra sunt, quæ paucis incolimus diebus. At vero sepulcra nostra appellantur: *Domus nostræ in æternum, scilicet incolendæ*, Ps. XLVIII. *Sepulcra eorum domus in æternum*. B. Albertus M. prius episc. Ratisp. postea abdicato episcopatu rursus ad ordinem suum prædicatorum regressus, cum ad finem vitæ omni plane scientiarum suarum memoria privatus fuisset, sepulcri tamen sui, quod in monasterio ipsi designatum fuerat, minime est oblitus, quin id quotidie reviseret et piis preceationibus præmuniret, pro seipso quasi jam pro mortuo fuis. Refert Ferdin. Castil. in histor. S. Domin. et ord. Præd. p. I. l. III. c. XLVII. Dictum sibi quisque cogitet, quod Ezech. regi dictum a Deo fuit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives*, Isa. XXXVIII.

## CONCIO V.

COEMETERIUM DOMUS FIGULI.

## THEMA.

*Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea.* Jerem. XVIII.

S. Hieron. ep. III. ad Heliodorum de epitaphio Nepotiani miratus hominum cæcitatem et stoliditatem scribit: *Quotidie morimur, quotidie immutatur, et æternos nos esse credimus*. Nimirum quem sola intellectus apprehensione percipimus, non adeo nos movent, quam quæ oculis proponuntur, et quia mortem, ut procul a nobis dissitam, nondum videmus, sed mente solum concipimus, inde fit, ut ejus imaginatio tenuiter nos moveat. Quam ob rem misit Deus Jeremiam prophetam aliquando ad domum figuli, ut quæ oculis videret in ejus officina, fortius apprehenderet, et postea inculcaret populo Hebræo. *Surge, inquit*

Jer. XVIII. *et descende in domum figuli et ibi audies verba mea*. Surrexit Jerem. et descendit in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam, et dissipatum est vas. quod ipse faciebat e luto manibus suis: *conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Et factum est verbum Domini ad Jerem. dicens: Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere, Domus Israel? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*. Ita scribit ipse Jer. Non nisi cæci esse velimus, hoc die impletum esse cernimus. Quia enim mortem non nisi ob oculos positum menti nostræ imprimimus, ecce misit nos hodie Deus in domum figuli, creatoris inquam nostri, domum luto plenam, e quo formavit nos; cœmeterium, inquam, et proponit nobis ollam unam fictilem, quam a luto formavit sed iterum confregit; suo tamen tempore rursus efformaturus est in formam longe aliam, et ut speramus, speciosiore ac beatificam. Quare ne frustra huc missi simus et absque fructu hinc abeamus, contemplerur hic imaginem nostram, et a defuncto istam discamus veram sapientiam; quomodo nos conditi, quomodo confracti, quomodo reformandi simus.

Tria ostensa sunt Jeremiæ in domo illius figuli. Primum qua ratione vasculum rota ab eo formatum. Secundum quomodo id dissipatum. Tertium qua ratione et arte id reformatum sit. Eadem nos contemplerur.

I. Primo: *Formavit Deus hominem e luto, et formavit ad illam speciem corporis humani, in qua hic defunctus ante oculos nostros jacet*. Effigiavit in massa luti manus, pedes, caput, aures, nares, os, oculos, et cætera membra homini necessaria. Sed nondum animata. Massa illa lutea merum cadaver erat: nondum ambulabat, non audiebat, non videbat, needum loquebatur; quia spiritu et anima carebat. Et tale est cadaver hominis, quale ante oculos cernimus, miserum et trunco simile vel statuæ. *Insufflavit postea Deus massæ illi spiraculum vitæ, h. e. animam rationalem, ut Chaldæus paraphrasticè vertit, animam loquentem; sine qua homo aliud non esset, nisi tale cadaver, quale est istud*. Videmus ergo hic originem nostram, quam expendens S. Chrysostom. hom. XII. in Genes. ait: « Formavit Deus hominem, inquit, pulverem de terra. » Quid dicis? « Acceptone de terra pulvere formavit hominem? Etiam, inquit, et non simpliciter, nec fortuito terram dicit, sed pulverem quasi si quis dicat, tenuissimum et vilissimum, quod est in terra. » Et paulo infra: « Hinc si attendere volumus, non parva nobis humilitatis offertur doctrina. » Nam cum cogitaverimus, unde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit,

etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, ea reprimemus et humiliabimur, et substantiæ nostræ qualitatem perpendentes, modestiam discemus. Et propterea Deus, cui tanta salutis nostræ cura, ad nostri eruditionem prophetæ linguam sic direxit. Quippe cum superius cæxerat divina Scriptura: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, et dedit illi omnium visibilium potestatem, ut ne ignorando, quomodo constitutus sit, magno sibi videatur et præscriptos sibi limites transeat; propterea repetendo docet formationis ejus originem, et unde primus homo productus sit. Et mox. Plurimum enim ad erudiendum nos conducit scire, unde substantia nostra primum originem acceperit. Videtur mihi Moyses in hac hystorologia fecisse, quod Romani statuerunt in triumphantis imperatoris aut victoris curru triumphali, ut dum ipse summa cum majestate in urbem veheretur, post tergum ei acclamaret aliquis: Respice post te, hominem memento te, ut refert Tertul. in apologet. Ut vero agnoscamus nos vere et proprie opus figuli esse, expendamus Hebræum Genesios textum, qui sic habet: *Plasmavit Deus hominem pulverem et lutum de terra*. Plasma autem proprie ad figulinam spectat. Quare sicut Agathocles rex Siciliae, ex filio figuli ad regiam evectus, ut superbiæ motus ob hanc dignitatem sibi insidiantes retunderet, abacum suum fictilibus vasis instruxit, teste Ausonio; vel saltem inter aurea etiam fictilia posuit, quo originis suæ memor esset: ita sane et nos facere oportet. Aspiciamus quæso, cadaver hominis. Quid eo miserabilius? Quid fœdus ac fœtentius? Tales initio fuimus, et tales rursus erimus. Exsuppetit et ad manus est, D. Basilius inquit, hom. XI. in hexam. *Quod nos ultro moneat, quam nihil simus. Emitte in terram oculos, deinde attende, quod ex re quæpiam terræ congenere et affini nempe vili ac rejectitia efformatus es. Quid aspernabilius esse possit, quam nos ipsi, etc.**

II. Dissipatur homo cum moritur, quomodo vas figuli illius dissipatum dicitur, dum formaretur; juxta paraphrasin Chaldaicam: *(In ipso artificis conatu, dum adhuc fingeretur, dissipatum est vas, quod manibus versabat.)* Id sibi accidisse Ezechias rex fatetur in cantico suo: *Præcisa est velut a te, ye vita mea: dum adhuc ordiret, succidit me*, Isæ. XXXVIII. Ubi Theodoretus, in cant. Ezech. scribit: *Quemadmodum est tela ancillæ, quæ reliquam texturam amputat: sic textura totius meæ vitæ ad finem properat, ut abrumpatur. Quilibet igitur vir sanctus stolam textit et ornamentum suæ animæ apponit per suis actiones.* (Id quidem dum ageret Ezechias, repente missus est ad eum

Isaias et præcidit texturam ejus, dicens: *Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ quia morieris tu et non vives.*) Quod huic pio regi evenit, idem quoque diviti illi avaro, sed infeliciose fine contigit, Luc. XII. Dum enim intra se cogitat: *Quid faciam? Quia non habeo quo congregem fructus meos. Et dixit: Hoc faciam, destrua horrea mea et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam. Hac nocte, inquit, dum nimirum ille in lecto tales versat cogitationes, et telam suam texere orditur. Non transit, ait ibi Theophyl. cogitationem suam dives, sed in ipso cogitationis momento ei tota vita abscinditur, etc.* Et quid mirum? Quid enim fragilius vase luteo, dum adhuc formatur et versatur in rota? Non male S. Jacobus, in ep. sua, c. III. cursum vitæ nostræ appellavit *rotam navitatis nostræ*. Perpetuo enim rotamur et agitamur curis, sollicitudinibus et cogitationibus inter se pugnantibus. Unde philosophus quidam rogatus, quid esset vita hominis, semel se in orbem convertit, et abiit, innuens esse quamdam rotationem cerebri in variis curis et cogitationibus, quæ hominem in vertigium agant et conficiant immatura adhuc ætate.

Porro *dissipatum est vas*, inquit Jeremias. Dissipatur vas figuli, cum pristinam formam perdit, et cum collabitur atque in frusta seu testas comminuitur. Videmus hoc in homine mortuo. Ubi enim jam pristina ejus forma? Ubi faciei decor? Ubi genæ rubentes? Ubi oculi scintillantes? Ubi suavis loquela? Ubi cantus modulatio? Ubi pedum saltatio? Ubi docti ad instrumenta digiti? Perierunt omnia. Præterea dissipantur ejus divitiæ, familia, suppellex, amici. Paulo post in sepulcro dissipantur ejus ossa et emortua membra. Quod etiam de se, quasi jam deposito deplorat Ezechias, in Cant. cit. *Generatio mea ablata est et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum*. Pro generatione habetur Hebr. dor, h. e. ætas. Quemadmodum igitur tabernaculum pastorum, tumultuaria opera e frondibus et ramis ad paucos dies erectum, cum deseritur ab illis, corrui, dissolvitur et dissipatur, ac diripitur, dispersis hinc inde ramis aridis et ad ignem alendum abreptis: ita in sepulcro dissolvitur cadaver, et disperguntur hinc inde corporis ossa.

III. Ex eodem collapsio corpore formabit Deus in die resurrectionis corpus aliud novum, quod non dissipabitur amplius: sicut figulus ille, inspectante Jer. I. *Ea eodem luto vas alterum, sicut*

*ipsi placuit, in speciem aliquam atque in alium unum efformavit*, inquit Paraphrastes Chaldæus. Quam facile igitur figulus ex collapsa argilla refringit vas novum, speciosius et solidius priore, tam facile est Deo, imo in infinitum facilius cadaver dissolutum et in terram resolutum reformare in novam et gloriosam corporis speciem, nunquam interituram. Ostendit hujus rei specimen in arboribus et herbis S. August. serm. XXXIV. de verb. apost. « Videmus (inquit) hiemis tempore vel adventu arbores spoliari pomis, nudari foliis sed eas etiam verno tempore speciem resurrectionis exprimere, quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus et vestiri foliis, et postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore, quo Deus disposuit, producantur? Dic mihi ubi latitant, antequam producantur? Quæ nusquam quidem videntur: sed tamen Deus, qui omnipotens est et ea ex nihilo condidit secreta sua virtute producit. In fine jam ad campos et prata respicite, quæ ætate transacta herbis suis spoliantur ac floribus, et nuda remanent ipsa spatia terrarum: sed iterum verno tempore vestiuntur et novo ubique germine incipiente lætatur agricola. Certe herba, quæ ante vixit, et moritur, rursus reviviscit ex semine: sic etiam nostrum corpus reviviscit ex pulvere. » Quo facit id Isa. c. LXVI. *Videbitis et gaudebit cor vestrum et ossa vestra quasi herba germinabunt*. Nimirum in magno illo die, quo ossa illa velut semen germinabunt, juxta Osee prophetiam, c. I. *Magnus dies Jezrael, h. e. seminis Dei*. Ubi Cyrill. ait: *Magnus revera dies Christi, quo omnes defunctos excitabit, etc.* Anne hoc incredibile videatur, voluit id ostendere Deus per complura miracula; quale est, quod in manu S. Hardwici archiepisc. Salisb. exhibuit, quando aridum ramusculum ex arbore a sancto decerptum, in ejus manu aliquantisper retentum virere ac florere fecit; ex quo miraculo adhuc locus, ubi id contigit, nomen obtinent, rivus floris, apud Henric. Canisium, tom. II. lect. antiq. S. Martinus ecclesiam consecraturus Turonensem, cum vehementer reliquias e sanguine S. Mauriti. et sociorum martyrum expeteret, nec habere posset, cultro exempto apud Augumenses, quo loco illi pro Christo sanguinem fuderunt (teste Baronio, anno 297.) gramen apprehendit et cespitem excidit, indeque non exiguam vim sanguinis (utique martyrum illorum) in vasculum expressit, quo et altaria consecravit, apud Sur. in vita S. Mauriti et soc. Nec mirus stupendum illud quod de S. Stanislao Cracoviensi episcopo

legimus, cujus corpus, cum ab impiis memora- tim concisum et per agrum dispersum esset postea a clericis collecta membra et apte composita, mox ita coaluerunt in corpus integrum, ut nulla vulnerum vel sectionum vestigia extarent. Ut est in ejus vita.

Jam ergo si ex una parte habeamus cur tristemur, quod hic defunctus noster in rota illa cælestis figuli contractus est, habemus tamen ex altera, cur gaudeamus, quando eum suo tempore in speciosiore formam resuscitandum certa fide credimus. Non plorat sed cantat et lætatur agricola, cum semen in agrum spargit; quia firmiter sperat se cum magno fenore id recepturum in messe. Idem cogitemus nos, etc.

## CONCIO VI.

COMMUNIS OMNIUM DOMUS COEMETERIIUM.

## THEMA.

*Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.* Job. XXX.

Levitici cap. XXV. statuit Deus hanc legem: *Terra non vendetur in perpetuum* (Chal. in proprietatem) *quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis*. Causam affert Concilium Triburiense, cap. XVI. quia *terra jure naturæ est communis omnium mater*; indeque deducit ecclesiasticam terræ sepulturam non esse pretio vendendam. Reperiuntur quidam fundi et arces nobilium, quæ integræ alicui familiæ deputatæ adeoque commune ejus receptaculum sunt, sed nulla hujusmodi domus demonstrari potest quæ toti humano generi receptando deputata sit, præter terram, quæ propterea communis omnium nostrum mater appellari solet. Nemo igitur tam pauper in toto mundo est, qui non habeat jus ad hanc matris nostræ domum, in quam velut advena, et colonus intrare post mortem queat. Consolabatur hoc S. Jobum, qui c. XXX. ait ad Deum hujus terræ Dominum: *Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi*. In Heb. dicitur *domus moghed, h. e. congregationis*; quia illuc congregamur omnes velut ad commune hospitium; in quo etiam s. ille Jacob patriarcha jamjam illaturus pedem, dixit ad filios: *Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis*, Gen. XLIX. Quando igitur, ut vidimus, terra præsertim sacra cæmeterii commune nostrum domicilium est, videamus nunc qualenam id sit.

I. Est quasi commune horreum, in quod in-

feruntur corpora nostra emortua, veluti manipuli frugum, falce mortis jam demessi. Eo spectat, quod S. Job. dixit Eliphaz; *Ingradies in abundantia in sepulcrum, sicut infertur æcerus tritici in tempore suo*. Primo ergo in horreum convehuntur omnis generis fruges, nobiles et ignobiles, triticum, siligo, panicum, hordicum, avena; quæ scilicet spectant ad unum dominum. Ita et in cæmeterium comportantur omnium cadavera, nobilem, ignobilem, dominorum et servorum, divitum et pauperum; quinetiam honorum et malorum. Quot cadavera, tot manipuli: sepelitur unum vel alterum non habito respectu. Deinde tritulantur manipuli, quando *caleat super illos quasi reæ interitus*, ut dicitur Job, cap. XVIII. Excitantur a vermibus, qui corpora absumunt, sicut pecora quæ devorant stramen. Denique sola remanent grana, quæ ventilantur ab eo: *Cujus ventilabrum, est manus ejus, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum* (domesticum scilicet in quo fruges jam trituratæ reponuntur) *paleas autem comburet igni inextinguibili*, ait Joannes Baptista, Matth. III.

II. Et quasi commune telonium, in quo omnes homines vectigal suum pendere et deponere coguntur. Telonia plerumque ad portus et ripas maris aut fluminis adherent, quod etiam de veterum sepulcris scribit P. Corn. a Lapid. in proph. min. proleg. canone XVII. ibi omnibus nautis exscendendum est e navibus et eundem ad telonium; ubi indicandæ merces, quæ vehuntur: et portorium pro illis solvendum, seu tributum. *Vita nostra*, inquit S. Greg. I. VI. ep. XXVI. ad Andream, *naviganti est similis*. Is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Confirmat hoc S. Job, c. IX. dicens: *Dies mei pertransierunt sicut navis*. Jam vero apostolo teste ad Hebr. IX. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Omnes igitur et singuli, ad persolvendum hoc tributum exscendere e vitæ cursu tenentur, et ad telonium cæmeterii, in quo mors agit teloniarium, corpus loco portorii deponere. Post hoc examinari et lustrari solet navis ejusque merces, justæne an injustæ, licitæ an illicitæ sint. Quod fit in judicio mortem consequente. Si justæ sint, dimittuntur libere ad cælestem patriam: si injustæ, ad fiscum trahuntur, et nauclerus mulcatur; cum nimirum una cum malis operibus suis trahitur ad gehennam. Job. citat. loc. addidit: *Dies suos transiisse sicut naves poma por-*

*tantes*. Poma hæc sunt opera nostra; quæ si in illo examine deprehendantur sana et integra, deferentur ad cælestem mensam: sin vero putrida et cariola, ad porcos abjiciuntur.

III. Est quasi anticamera moratoria, in qua aulici, et qui ad colloquium regis admittendi sunt, expectare solent, donec ad regis conspectum advocentur. Hunc se expectare asserit Job, c. IX. *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*. Idem cum ipso dicunt omnes defuncti, unde Romæ in cæmeterio s. ad ingressum posita est epigraphe: *Hic expectamus requiem donec videlicet in die resurrectionis novis adornati vestibus evocentur e sepulcris, et admittantur in conspectum Regis regum*. Desiderant quidem electi vehementer diem uti imprimis martyres, qui clamant Apoc. IX. *Usquequo non judicas Domine, et non vindicas sanguinem nostrum?* Sed dictum est illis, ut *requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, etc.* Interim data sunt illis singulæ stolæ albæ. Stolæ istæ sunt gloriæ animarum, quibus illæ in cælo jam indutæ vident Deum: glorificationem corporum expectant adhuc, dandum in resurrectionem justorum, in cujus rei figuram Joseph per triennium, licet innocens in carcere detentus fuit, priusquam admitteretur ad Pharaonis aulam et alloquium, priusquam attonderi et eleganter vestiri debuisset, Gen. XLI. Ita enim et electorum corpora detinenda sunt in sepulcris, donec vestiantur immortalitatis gloria, et detonsis culparum reatibus, si quos habent, in purgatorio, ad beatitudinem admittantur. Consimili typo Abraham sacrificaturus Deo, filium quidem assumpsit secum in montem Moria, seu visionis Dei: asinum vero reliquit infra montem, mandans servis suis: *Expectate hic cum asino, ego et puer illic usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, Gen. XXII. Credidit enim filium vel morti liberandum, vel resuscitandum. Reversus igitur cum filio ad asinum, reduxit eum in terram suam. Hunc in modum mortuo homine justo, ducit ejus animam Deus ad montem visionis beatificæ, quamquam si ea quid expiandum habet, cum gladio et igne purgatorii. Denique in die judicii reducet animam ad corpus, et una cum illo reducet in cælestem patriam.

IV. Est quasi commune pandocheum seu diversorium, in quod omnes advenæ et peregrini divertunt, donec iter suum prosequantur ad vitam alteram. In hoc diversorio pandocheus seu hospes est mors, quæ imprimis pari affectu om-

res excipit, et in arcto æquali lectulo collocat nullo habito respectu inter divitem et pauperem, nobilem et ignobilem. Unde S. Ambrosius, l. de Nabaoth, c. I. ait: *Cespes angustus æque pauperi abundat et diviti.* Alphonsus quoque Aragonum rex interrogatus: *Quænam res principes ac privatos, divites ac pauperes æquaret?* Cinis respondit, Panorm. l. IV. de gestis ejus. Deinde suis quidem advenis nihil ad comedendum aut bibendum apponit, sed ipse potius devorat et depascit eos, juxta id Psal. XLVIII. *Sicut oves in inferno (sepulcro) positi sunt, mors depascet eos, per servos scilicet suos, vermes; quinimo etiam vestibus expoliat.* Quare de hoc diversorio dici posset illud Num. XIII. *Terra hac devorat habitatores suos.* Sed neque munda aut jucunda est illa habitatio, quia putredine, sordibus et vermibus leatet. Unde stabulum potius pecorum, quam hominum diversorium dicendum est; quo nomine etiam appellatur pandocheum illud, in quod Samaritanus induxit sauciatum a latronibus, Luc. X. Jam vero quærat aliquis, cur hospes hic tam durus, tam male excipiat advenas ad se divertentes, et cur pro brevi somno proque mensa tam sterili, tam crudele exigat lytrum? Respondit iis primo, quod parentes nostri primi contraxerint hoc debitum, tam grave, tamque enorme, ut etiam in posteros eorum sese extendat. Itaque *Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, Ezech. XVIII.* Deinde quia et ipsi peccarant omnes, parentes suos secuti; unde cum non habeant, mors vestes eis detrahit. Unde XLVIII. dicitur: *Sicut oves in inferno (h. e. sepulcro) positi sunt, mors depascet eos.* Oves stulta animalia sunt et facillime errant: una desiliens in flumen, sequuntur eam omnes et merguntur. Ita fere homines secuti sunt parentes primos. Denique quia cum mortali corpore non licet ingredi ad vitam immortalam, ideo fragilis ita carnis nostre vestis ad ostium alterius sæculi exuenda est. Si enim ad aulam regis Assueri nemo sacco indutus poterat intrare, Esth. IV. nisi prius eum deposuisset: multo minus ad regnum celorum patet ingressus homini mortali carne vestito; Hinc Psal. XXIX. cum objecisset psalmista Deo: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Audivit Dominus et misertus est mei: quid igitur respondet? Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conceidisti sacco meum, et circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea.* In mola papyraria nequit fieri charta munda ex detritis lacernis nisi prius confundantur et macerentur. Idem fit cum homini-

bus. Quare cœmeterium hujusmodi mola papyraria est, in qua emortua corpora, velut abjecti centones macerantur, ut in speciosa et beatifica visione postmodum reformentur.

V. Est quasi publica et communis curia, in qua litigantes partes inter se conveniunt et conciliantur; ubi mors velut judex omnium jungit dexteram et tollit inimicitias. Discere hoc ex eodem versu citati Psal. XLVIII. possumus, ubi dicitur: *Sicut oves in inferno (sepulcro) positi sunt.* Mors uti S. Augustinus legit, *pastor est eis*: (vel, ut Symmachus legit: *Mors regit eos.*) Qui ergo in vita sua convenire non potuerunt, in sepulcro conveniunt, et jacent ibi pacatissime, velut oves in uno clausæ ovili. Eo spectat, quod Seneca, l. III. de ira, c. XLII. ait: *Quid servo, quid domino, quid regi, quid clienti tuo irascaris? Sustine paulum: Venit ecce mors, quæ nos pares faciet.* Ita ferunt fabulæ lupum dixisse agno: *Tum demum conciliabimur, quando in convivio pellionis ambo venerimus.* Quidam per omnem vitam foveant inter se odia, nec ullis artibus componi ad pacem possunt. Itaque *veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes,* ait psalmista, Psal. LIV. *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum.* Ubi alludit ad Dathan et Abiron, qui cum seditionem excitassent contra Moysen, vivi una cum tabernaculis suis absorpti sunt a terra, Num. XVI. Contenderunt circa annum 1300. de imperio Rom. duo principes, Albertus Austriacus, et Adolphus Nassoviensis, et in conflictu congressi sunt strictis gladiis, peritque manu Alberti Adolphus, sepultusque est Basileæ. Postmodum ubi Albertus creatus imperator fati concessit, in idem Adolphi sepulcrum et ipse depositus est, ut scribit Gerardus de Roo, in chronologia Austriaca, l. II. Ibi usque hodie summa in pace conquiescunt qui, dum viverent, ad pacem componi non potuerunt.

VI. Denique est quasi commune asyllum, in quod se recipiunt et abscondunt ab extrema illa calamitate, quæ ad finem mundi opprimet viventes, ut testatur etiam post prophetas Christus, quando, ut ait S. Joannes Apoc. VI. *Abscendent se in speluncis et petris. Cadite super nos.* Et ut Isaias, c. II. scribit: *Introibunt in speluncas petrarum et in voragine terræ a facie formidinis terræ.* Sane pro eximio Dei beneficio computandum est, quod ante ultimam illam calamitatem subtrahimur e mundo, et abscondimur in sepulcris, præsertim si consideremus tyrannidem antichristi, qui per exquisitissima tormenta piis cruciabit, ut a Dei obsequio abducatur, et ad suum perducat. Quotusquisque enim ea tormenta sustinere poterit? Hinc compellentur fu-

gere et abdere se in spelunca ferarum, mortis ipsius periculo mortem redimentes, et mortem sibi optantes. At verò defuncti jam et sepulti, ab his timoribus liberi erunt. Unde bene Job c. XI. ait Sophar: *Defossus securus dormies.* Quæ cum ita sint, non est cur adeo tristetur de morte amici nostri. Ivit enim via universæ carnis, qua et nos pergemus brevi. Dicamus cum Davide: *Numquid potero eum revocare amplius? Ergo vadam magis ad eum; ille vero non revertetur ad me,* II. Reg. XII. Audiamus et Chrysostomum, hom. LXIX. ad pop. *A multis ille calamitatibus liberatus est, noli ergo ipsi invidere, aut æmulari.* Ne consideres illud, quod non amplius domum revertetur, sed quod paulo post et ipse ad eum revertetur. Si defunctum diligeres, gaudere oporteret atque lætari, quod ex præsentibus procillis esset absolutus, etc.

## CONCIO VII.

SEPOLCRA MONUMENTA, QUIA MONENT MENTEM.

## THEMA.

*Hic est titulus monumenti Rachel.* Gen. III.

Bene monet orator Ecclesiasticus, c. XIV. *Memento esto quoniam mors non tardat,* hæc enim velut tempestas ingruit nobis incautis qui in hoc mundo dum vivimus, tamquam in quodam mari inter media navigamus pericula et anfractus. Sed eheu! quo major miseria nobis sub vitæ finem imminet, eo majore incuria nos ad tantum discrimen subeundum præparamus. Hinc opportune nobis memoriam mortis inducit regius vates, ne tam facile et temere ejus obliviscamur, et maxime de mortalibus conqueritur, Ps. LXXII. *Non est respectus mortis eorum,* vertit Hier. *Non cogitat de morte eorum,* idque merito lamentatur, quia bene novit, si sæpe ante oculos nostros mors observetur fore ut facile omnia contemnemus quod egregie emedullat D. Hier. in ep. ad Cypr. « Nihil enim ita decipit humanum genus, quam dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt. Unde et illud egregie dictum est, nullum tam senem esse, et sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur. Ad illum sensum pertinet et illud, quod dicitur: Memorare mortis tuæ et non peccabis. Qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit præsentia et ad futura festinat. » Paria inculcat Aurelius Aug. in Ps. LXX. « Dicunt impij, comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Quid ais? inquit.

Repete: Manducemus, inquit, et bibamus. Agas quid postea dixisti: Cras enim moriemur, tenuisti, non seduxisti, plane hoc ipso, quod postea dixisti, et præcessit comedamus et bibamus, cum enim dixisses manducemus et bibamus adjunxisti, cras enim moriemur. Audi contra me: Imo jejunemus et oremus: cras enim moriemur. » Hæc M. August. Hanc mortis oblivionem satis videre est in Adamo ipso; hic enim licet post peccatum mortis jam legibus audire subjectus: Gen. III. *Pulvis es, et in pulverem reverteris,* mirum est, quam cito hanc ex animo seposuit memoriam quam vix auribus percepit memoriam. Nam mox Adam *vocavit nomen uxoris suæ Hevam.* Septuaginta legunt: *Nomen uxoris suæ vita, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Tam cito mortis oblitus, vitæ facit mentionem, vitæ nomine vocans eam, quæ mortis occasio fuerit suggerendo peccatum, quo jure miratur D. Aug. II. de ben. cont. Manich. c. XXI. cum jure debuisset eam appellare *matrem cunctorum morientium,* cur vocarit *matrem viventium?* Nempe hoc mortis oblitio fecit, quæ penitus nostris memoriis imprimatur, diversæ nationes varias methodos excogitarunt. Nam ritus pervertustus est erigendi titulos et epitaphia in memoriam defunctorum juxta eorum sepulcra. Ita enim Simon Macchab. magnificum excitat mausolæum super sepulcrum patris et fratrum, I. Macch. XIII. David quoque extractam fuisse monumentum honorificum colligitur ex testimonio S. Petri, Act. II. et scribit S. Hieronymus, in ep. ad Marcellam, ad illud se adornare solitum. Denique, ante hos dudum erexit Jacob patriarcha titulum ad sepulcrum conjugis suæ Rachel, cum hac inscriptione: *Hic est titulus monumenti Rachel,* Gen. XXXV. Titulus hoc loco lapidem aut columnam seu pyramidem significat. Descriptor terræ sanctæ Borehardus, tradit fuisse pyramidem perelegantem, in cujus basi dispositi erant duodecim lapides prægrandes juxta numerum duodecim filiorum Israel. In quo id maxime observandum, quod sepulcrum illud appellare voluit Jacob monumentum. Causam affert S. August. in l. de cura pro mortuis, c. III. his verbis: « Non ob aliud vel memoriæ vel monumenta dicuntur eaque insignita fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur in memoriam revocant et admonendo faciunt cogitari. » Cæterum non hæc sola, sed plures aliæ rationes occurrunt, et plura documenta, quorum nos monumenta monent, quæ hic afferemus.

I. Monent mentem, ut cogitemus quidnam